

Abbas in c. *Super specula*, n. 17. *Ne clerici vel monachi*, etc., indubitanter tenens, quod ad hunc finem addiscens in camera scientiam juris civilis, acquirat et bonam famam in presenti saeculo, et mercedem maximam in futuro. Layman lib. I, *Theolog. moral.*, tract. IV, c. VIII, n. 9; Fagnanus in d. c. *Super specula*, n. 30 et 32, post Hostiensem, Jo. Andream, Anchoranum, Butrium: et ceteros omnes. Desumitur hoc ex can. *Turbat. et can. Si quis grammaticam*, dist. 37, ubi lectio saecularium litterarum, et doctrina grammatices comprobatur, dummodo assumatur in meliores usus, ut puta, ad intelligendam sacram Scripturam, et discernendam veritatem a falsitate: nam cujus finis bonus est, et ipsum bonum est. Quo tamen non obstante, tum ad tollendam evagationis materiam, tum ut regulares ecclesiastica negotia fidelius pertractent, simulque evitentur nonnulla alia incommoda, exitum e claustris ad audiendas leges mundanas pontifex merito religiosis prohibendum censuit.

230. *In quo sensu religiosis sit prohibitum audire leges civiles?* — Resp. II. Per citatos canones prohibetur religiosis audire leges civiles principaliter propter ipsam scientiam civilem, sive intentione subeundi munera, et officia saecularium advocatorum, et iudicam. Ita citati doctores; itque desumitur ex d. c. *Non magnopere. Ne clerici vel monachi*, ubi Alexander III, in concilio Turonensi prohibuit regularibus exitum e claustris ad audiendas leges vel physicam, « ne occasione scientiae, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur: » et consequenter dicta prohibitio procedit de tali studio, quod abstrahit a vita ecclesiastica, fitque intentione subeundi mundanas actiones, sive administrationes iudicum, aut advocatorum.

231. *Solvitur instantia. Sub theologia comprehenditur jus canonicum.* Ibid. — Neque obstat, quod cit. c. *Super specula* (ubi dicta prohibitio audiendi leges, vel physicam in scholis extenditur ad clericos saeculares, habentes dignitates vel personatus, nec non ad presbyteros) assignetur alia causa memoratae prohibitionis, videlicet ampliatio theologici studii ad fortius resistendum haereticis: « ut

theologiae studium dilatato sui territorii loco, funiculos suos faciat longiores, ut sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso, » prout loquitur textus. Resp. enim cum Abbate loc. cit. n. 7, et Pirhing, tit. *Ne clerici vel monachi*, etc., n. 34, sub theologia hoc loco etiam comprehenditur jus canonicum; quia scientia canonica est pars scientiae divinae. Et hoc non immerito dicitur, tum ob auctoritates sacrae Scripturae multis in locis eidem insertas, atque definitiones fidei catholicae, quas continet; tum ob finem promovendi cultum divinum, et perducendi hominem ad aeternam beatitudinem: qua de causa jus canonicum non semel appellatur *Jus divinum*, ut supra, num. 29 et 30, dictum est. Cum igitur leges civiles ad juris canonici perfectionem intelligentiam multum deserviant, ipsaeque canonum ambiguitates legibus resolvantur: non censetur summi pontifices voluisse religiosis, ac praefatis clericis, prohibere studium juris civilis in ordine ad finem melius intelligendi sacros canones, quamvis prohibuerint eisdem studium juris civilis principaliter assumptum in ordine ad subeundas mundanas actiones saecularium iudicum, vel advocatorum.

232. *Universitates quaedam impetrarunt privilegium ad mittenti clericos ad publicas legum civilium lectiones.* — Ad majorem nihilominus cautelam, simul et commoditatem proseguendi studium juris canonici, solent universitates a summo Pontifice expressum privilegium admittendi clericos ad publicas legum civilium lectiones impetrare: prout Baptista a S. Blasio, tom. I *Tractatum*, tract. *De Contradictionibus juris canonici cum civili*, contradict. 34, refert: « Studium Patavinum habere privilegium hoc, quod clerici possint audire jus civile per quinquennium ad eorum instructionem, ut facilius capere possint doctrinam juris canonici. » Et tale privilegium etiam universitati Salisburgensi concessum esse, testatur Ludov. Engel in *proemio Collegii juris canon.*, num. 19. Idemque de aliis universitatibus asserunt alii libri, et melius authentica instrumenta desuper confecta demonstrabunt. (ADNOTATIO VII.)

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIU

In Quaestiones distributi solidisque Responsonibus
et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

1. *Duplex juris canonici fundamentum ceteris praemittitur.* — « Quoniam ubi fundamentum non est, superaedificari non potest, » uti notatur in c. *Veniens*, 3, *de presbyt. non baptiz.*, merito in principio libri primi *Decretalium* duplex totius juris canonici ponitur fundamentum: unum, et quidem solidissimum, verae fidei catholicae, agendo mox in primo titulo *de summa Trinitate, et catholica fide*: alterum, generalioris doctrinae canonicae, in subsequentibus tribus titulis tractando *de Constitutionibus, de Rescriptis, et de consuetudine*.

2. *Divisio materiarum juris canonici in quinque libros Decretalium.* — Posito hoc duplici fundamento compilerator juris canonici a generalioribus procedit ad particularia, haecque universim in quinque classes distribuit, singulisque classibus proprium librum attribuit. « Quia enim omne jus, quo utimur, tum civile, tum canonicum, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, sive judicia, L. I, ff. *de Statu homin.* et § fin. *Instit. de Jure nat. gent. et civili*: » juxta isthaec tria juris objecta, dividi quidem potuisset totum jus canonicum, atque a nonnullis doctoribus,

nominatim a Barbosa « in tribus libris juris ecclesiastici universi, » dividitur. Sed cum quodlibet praemissorum in sua membra subdividere liceat, personas quidem in superiores, sive praelatos, Ecclesiae, quibus potestas jura condendi, et condita tuendi, subditosque juxta eorum praescriptum dijudicandi competit; et in inferiores, sive clerum tam saecularem, quam regularem: res vero in eas, quae clericis in sortem Domini vocatis peculiariter conveniunt, ut beneficia ecclesiastica; et eas, quae quidem sunt sacrae, sed hominibus laicis propriae existunt, ut sponsalia, et matrimonium: judicia quoque vel sunt civilia, vel criminalia. Placuit compilatori novam facere subdivisionem, quinque Decretalium libris copiosius explanatam, tractando in primo Decretalium libro praecipue de praelatis, sive iudicibus ecclesiasticis: in secundo de judiciis praesertim civiliter intentatis, et cooperantibus ad ipsa. Atque, ut patere possit de personis, rebusque illis, circa quas judicia ecclesiastica civiliter agitari consueverunt; hinc in tertio libro fit sermo de clericis, rebusque ecclesiasticis eorum cura specialiter commendatis: in quarto autem de matrimonio: causisque matrimonialibus, laicos peculiariter respi-

cientibus : in quinto tandem de criminibus, ipsoque processu judiciali criminali. Hoc totum breviter complectitur versiculus ille, proœmio *Decretalium* Gregorii PP. IX, a Glossa præfixus, et singulis suis verbis obiectum principale singulorum quinque librorum *Decretalium* per ordinem apte demonstrans; qui sic sonat :

Judex, judicium, clericus, sponsalia, crimen.

TITULUS I.

De summa Trinitate, et fide catholica.

3. *A sanctissima Trinitate, et fide catholica, utrumque jus orditur.* — A sanctissima Trinitate, fonte atque origine omnis sapientiæ et justitiæ, simul et a fide catholica, tum Justinianus imperator *Codicem*, tum summus Pontifex quinque libros *Decretalium*, *Sex-tumque, et Clementinas* auspiciantur. In ejus proinde sacrosanctæ, et individue TRINITATIS nomine præsentis pariter ordimur labores; et cum eademmet « sit unum universorum principium, » prout definitum legitur in cap. I, h. t. ut sua infinita bonitate atque clementia eosdem secundare, atque ad suum honorem et gloriam dirigere velit, suppliciter exoramus.

4. *De eadem materia etiam alibi tractatur.* — Et quidem de materia hujus rubricæ habetur pulcher textus can. *Qui episcopus*, dist. 23, ubi ponendo, super quibus examinandus sit electus in episcopum, agitur incidenter de summa Trinitate, ac præcipuis articulis fidei. Item can. ult. *de Consecrat.*, dist. 3, ubi de sanctissima Trinitate, ejusdemque unitate, ex professo tractatur. Item can. penult. et ult. *de Consecrat.*, dist. 5, ubi de processione Spiritus sancti a Patre et Filio plenius agitur.

§ I.

DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

5. *Sanctissimæ Trinitatis nomine quid intelligatur? Id expresse significat ternarium personarum divinarum, non trium unitatem.* *Ibid.* — Quæritur I. Quid per summam Trinitatem intelligatur? Resp. I. Hoc sanctissimo nomine, juxta receptam phrasin catholicorum, denotantur tres personæ divinæ in

una essentia subsistentes. Et dicitur notanter, « Tres personæ divinæ, » nam, quod pluritas personarum significat indeterminate, hoc nomen Trinitatis significat determinate, videlicet tres personas divinas, non plures, nec pauciores. Et quamvis hoc nomen *Trinitas*, juxta etymologiam vocabuli, videatur significare unam essentiam trium personarum, secundum quod dicitur *Trinitas*, quasi trium *Unitas*, ut loquitur divus Thomas I, part. q. 31, art. I, ad I, revera tamen illud, secundum proprietatem vocabuli, non significat trium Unitatem, sed numerum ternarium personarum unius essentiae; prout idem Doctor angelicus illico sese explicat, atque liquet ex illo symboli sancti Athanasii : *Et Trinitatem in Unitate veneremur*. Si enim Trinitas vi nominis proprie significaret trium Unitatem, allegata symboli verba hunc sensum redderent : *Et trium Unitatem in Unitate veneremur*; quod valde absonum est, ac dici nequit. Concordat doctor subtilis in I, dist. 3, quæst. 6, § *Quantum ergo ad secundum*, § *Respondeo*, dum ait : « Trinitas est quasi quoddam totum numerale, saltem in conceptu intellectus nostri. » Manet proinde, quod vox *Trinitatis* expresse significat ternarium personarum divinarum : hac quippe ratione sancti Patres opponunt in divinis Unitatem Trinitati, et dicunt, in essentia Unitatem, in personis Trinitatem reperiri. Hinc S. Fulgentius *de Fide ad Petrum*, cap. I, sic inquit : « Trinitas ad personas refertur, Unitas ad naturam. » Bellarminus lib. II, cap. v, *de Christo. F.* et communis theologorum.

6. *Trinitatis vocabulum a tempore Apostolorum usitatum.* — Nec contra *Trinitatis* vocabulum opponere licet, quod id in sacra Scriptura nullibi legatur. Imprimis enim, quamvis illud in sacris Litteris expresse non contineatur, tamen ex eis clare deducitur, dum *Matth.* xxviii, 19, 20. Christus Apostolis mandavit : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Item I Joan. cap. v, 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Hinc nomen Trinitatis, utpote e sacris Pagineis evidenter deductum, simulque aptissime significans ternarium personarum unius essentiae divinæ, in Ecclesia catholica est antiquissimum, atque a temporibus Apostolorum usque ad moderna tempora semper usitatum; prout sanctus Dionysius, qui vixit tem-

pore Apostolorum, cap. I, *de Divinis Nominibus*, et alibi sæpe, hoc nomine usus fuisse legitur.

7. *Mysterium sanctissimæ Trinitatis explicatur a concilio generali.* — Resp. II. Elsi mysterium sanctissimæ Trinitatis sit ineffabile, atque ab intellectu humano incomprehensibile : tamen, quantum fas est homini capere, et ad salutem consequendam necesse est credere, illud in concilio generali (hoc est, Lateranensi, sub Innocentio III, celebrato) sequentibus verbis, cap. *Firmiter*. I. h. t. relatis breviter explicatur, atque fidelibus credendum proponitur : « Unus solus est verus Deus, æternus, immensus, et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, et ineffabilis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino; Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus pariter ab utroque absque initio, semper, ac sine fine : Pater generans, Filius nascentis, et Spiritus sanctus procedens, consubstantiales et coæquales, et coomnipotentes, et coæterni : unum universorum principium, » etc. (Et infra.) « Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta. »

8. *Et damnatur error Joachim abbatis.* — Et infra in c. *Damnatus*. § *Nos autem*, eod. perguit cum citato concilio Pontifex, et reprobando sententiam abbatis Joachim, paulo antea ibidem præmissam, subjungit : « Nos autem sacro approbante concilio credimus, et confitemur cum Petro (Lombardo, sive Magistro Sententiarum, cujus dictum hic solemniter defenditur contra Joachim abbatem) quod quædam summa res est, incomprehensibilis, et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem : et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non Quaternitas : quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens : sed est Pater, qui generat, et Filius, qui nascitur, et Spiritus sanctus, qui procedit : ut distinctione sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus : non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus

sanctus, idem omnino. ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. »

9. *Ac redditur ratio consubstantialitatis Filii cum Patre.* — Pergit Pontifex una cum concilio, redditurus rationem consubstantialitatis Filii, cum Patre, et subdit : « Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam et dedit; juxta quod ipse (Joan. x, 29) testatur : *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est.* Ac dici non potest, quod partem substantiæ suæ illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit; cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi : alioquin desiisset esse, substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accipit : et ita Pater et Filius habent eandem substantiam : et sic eadem res est Pater, et Filius, nec non Spiritus sanctus ab utroque procedens. » Hactenus Pontifex una cum citato concilio generali.

10. *In divinis datur vera et realis unitas quoad essentiam. Nec tamen hinc sequitur quaternitas.* *Ibid.* — Nec obstant rationes abbatis Joachim, qui, ne videretur in divinis admittere Quaternitatem, negavit Rem, seu communem illam Essentiam, quæ sit realiter Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et inter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum concessit quidem unam essentiam, sed non unam unitate vera, et propria, sive reali; sed unam dumtaxat quasi unitate collectiva, et similitudinaria : quo modo multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles una ecclesia : juxta illud *Actor*, IV, 32. *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Et I Corinth. vi, 17. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo*, cum similibus. Non obstat, inquam : nam, quod attinet Quaternitatem, jam patet ex dictis, eam nullatenus sequi in divinis, eo quod res, sive essentia illa communis tribus personis sit realiter et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; sicque, quantum ad naturam sive essentiam suam, tres personæ divinæ sint consubstantiales, sive unius ejusdemque substantiæ ac essentiae. Ex quo illico sequitur, quod inter easdem personas detur vera, propria, et realis unitas quoad essentiam, substantiam, seu naturam suam; non autem collectiva dumtaxat, et similitudinaria. Alioquin enim, ut